



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Zelus diuinæ laudis & honoris qua[n]tus inesse debeat animæ amanti;  
quantoq[ue] studio execrari debeat omne peccatum: laus item Dei vt sit  
arrha salutis æternæ. Can. XXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*Zelus diuine laudis & honoris quantus inesse debeat animæ amanti-  
quântoque studio execrari debeat omne peccatum: laus i-  
tem Dei vt sit arra salutis æternæ.*

## CANON XXXVI.

**S**emper in te ardeat filia, desiderium me laudandi, me amandi, me honorandi, & mihi ex toto corde funditus perfectissimi mecum placendi. Semper in corde tuo illa sit reuerentia, ille timor, illa sollicitudo, ille fauor erga me, & pro me, ne quid fiat, quod mihi displiceat. Et quamuis maxime debeas timere, cauere, prouidere, ne cui occasione aut negligentia eiusmodi quid fiat contra me, nihilo minus tamen etiam pro aliis & circa alios quantum in te est, vigila, ac procura honorem meum, videlicet, ne peccetur, & ne offendar ego. Hoc autem pure & ex mera charitate propter me facere debes.

Semper enim in corde tuo nasci, & continuè emanare ad me debet fidelissima, feruentissima, deuotissimaque directio, te impellens, teq; effundens & in omnia que sunt ad gloriam ac beneplacitum meum, te promptissimam reddent, vt nihil tam desideres, quam ab omni amore, respectu, desiderio, & inclinatione erga te ipsam & erga quascunq; creaturas alias sis nuda, pura ac libera, & te mihi soli sic nudam, liberam, puram ac me solum desiderantem serues, vt voluntatem meam plenè & libere in te & tecum habeam, teq; solus, vtpote a te ipsa & omni creatura alienam ac liberam absq; medio possideam.

Pari modo desideres vt in omnibus & apud omnes fiat voluntas mea, & ab omnibus cognoscar, diligar, honorer ac colar. Ante eligas mortè decies pati ( si tamen fidelis es mihi sponsa ) quam semel consentire in peccatum, licet veniale. Quamquam enim verifimile sit te diu stare nō posse, sine veniali peccati nequaquam tamē debes ex certo proposito, aut scienter te dare ad aliquod veniale peccatum, sed voluntatem habere fixam, nunquam peccandi. Hanc autem voluntatem in me, non in te figere atq; firmare debes. Qui me diligit, huic placeo ego, huic placent & omnia opera atq; iudicia mea. Quare nunquā me desinit laudare. Non opus est amāti vt querat, quid in me velit laudare: Amor enim illi monstrabit, quid in me possit, debeat vt laudari. Me laudare est, me amando cogitare, cogitando admirari, & admirando à cunctis velle prædicari amaritq; Laus mei in eo qui puro mihi corde afficitur, illuminat & exhilarat spiritū, tristitiam abigit, simulq; inter prospera protegit & aduersa. Quicquid diabolicæ, humanæ ve molitur fraudes, laus mei alacriter contēnit. O quam est angelis meis delectabile audire laudantium chōros ( quamuis plus multo delectet ipsos puris assistere cordibus laudantium me. ) Vident enim in terris homines ordinem æmulari cœlestium. Proinde si in terris arra est siue prægustatio æternæ beatitudinis, hæc est in laude mei. Nihil enim ita præ se fert statum felicitatis futuræ, quam alacritas me laudantium. Ego sicut nullius laude egeo, & sicut nullius me laus facere potest commendabiliorē, ita nulla me sufficit creatura laudare. Quare tu vt me laudes, indignam te debes existimare. Nihilo minus tamen desidera me laudare, vt quam nulla sit laus humana erga me, quamque maior sim omni laude, &

Peccatum  
veniale quā  
sit execran-  
dum animæ  
amanti.

Laudare  
Deū quid sit.

Laus Dei vt  
sit arra æter-  
næ beatitu-  
dinis.

Tit 2 quæ;

quantum in me laudando omnis deficiat creatura, manifestetur. Hoc licet respondere gestiat omnis creatura, videlicet vt me laudet, multò magis tamen tu hoc in te debes exprimere, vt quantumlibet te extenderis (debes autem omnem conatum tuum erga me effundere) nihil te inuenias fecisse.

*Laus quænam Deo præ cunctis placeat.*

CANON XXXVII.

Laus Dei  
suauissima  
quæ sit.

Psal. 30.

Quando  
quis Deum  
verè laudet.

Omnia vt in  
Dei laudem  
trahantur.

Remedium  
contra ter-  
ribiles blasphemias  
et tentationes.

**D**icam tibi filia, quæ mihi laus placeat: Vocalis laus (tame si vbi ecclesie meæ præceptum vrget obseruari debeat, videlicet vt quod dicere cantareve iussa fueris, vocaliter proferas) non æque mihi placet, atque interior, quæ est in spiritum. Sacrificium odoriferum, lausq; mihi suauissima est, profundissima penitissimamq; vilitatis ac nihilitatis tuæ cognitio, contemplatio, erubescenciaque coram maiestate mea, vt verecundè coram me tuam vilitatem, deformitatem, tuam ingratitude, tuam miseriam, tuamq; nihilitatem continue aspicias atque despicias, mihiq; propterea & omni creaturæ te subiicias, & ab omnibus nihili haberi & conculcari diligas. Cor huiusmodi contritum & humiliatum ego despiciere nequeo: imò huiusmodi cordis genitum, multo mihi suauior est, digniusq; mihi sacrificat, quam longa verborum congeries, aut precum duntaxat vocalium onerosa multitudo. Deinde si aduersitate non minus placeo, si non minus gratias agis, nec minus deuota permanes erga me & voluntaria, quam in prosperitate, tunc verè me laudas. Insuper cauere peccata, virtutibus infudare, honorem mei scire, beneplacitum meum & gloriam meam solam quærere, non infima est mihi laus. Porro animum habere defœctatum, purum ac liberum ab omni vitiosa affectione, ab omni acedia, ab omni deniq; grauitate aut retractione, & in pace, tranquillitate atq; silentio spiritus mihi soli inhærere, laus est multo adhuc purior, mihiq; acceptior. Filia, quicquid intra te nascitur, quicquid ab extra accidit, subita conuersione ad me, transfer in me, optans vt illud mihi in gloriam & summam laudem à gratia mea vertatur. Hoc modo cuncta tibi euenient in salutem, & natura ipsa mutabitur in gratiam. Proinde si diaboli etiam senseris machinationes, si tentationes foedas, aut etiam blasphemias senseris, aut cuiusuis horrendæ tentationis perceperis instinctum, cura vt vnde tibi hostis parare malum satagit, tu animæ tuæ lucrum conquiras. Hoc autem animæ tuæ lucrum puta, vt me laudes & glorifices.

Conuersa igitur confestim vt sentis ad me, dic Domine Deus meus, quotiescunque hanc sensero tentationem, quotiescunque in mentem hoc mihi venerit, toties educto omnium celestium te laude glorifico, totiesq; in huius mali spiritus confusionem, & in tui honorem ac gloriam te adoro: Atque in locum eius, quam ipse non potest, laudem tibi infinitam offero. Si iste est quod sentis, dic: Pijssime Deus, quamlibet sit molestum quod sero, pro tui amore & honore libenter hoc sustinebo: & si in honorem tui ampliore cedit, vt maiora grauioraque subeant, paratum me tibi offero. Nihil tantum sit mihi pie Deus quæso molestum, sed super omnia desideratum, quicquid tuo fuerit nomini gloriosum. Si pulchrum dulcere aut charum quid senseris, dic: Suauissime Deus, hoc à te pulcherrimo, dulcissimo, desiderantissimo, optimoque venit. Si vis, libenter omni creatura carebo, libenter omni consolatione destituar, vt tu super omnia pulchra, tu super omnia bona, tu super omnia amata, pulcherrimus suauissimus, desiderantissimus atque dilectissimus cor di meo solus infideas solus tu totum